

Sigismundus Primus Rex Polonia
 Sigismundo Augusto Filio Regi
 Poloniae.

Serenissime etc. Quod M^{tas} Vestra tanta est cura
 et solitudine de Valetudine Nostra, agnosimus
 in eo pietatem illius erga nos singularem, Deo sit
 gratia, cujus beneficio recreati iam ex morbo Nostra
 non prorsus esse confirmati videmur. Vestre quoq^m M^{ti}
 diuturnam incolumitatem rerumq^m omnium prosperitate
 ab eodem fonte cunctorum bonorum precamur.

Quae egerit Nuntius M^{ti} Vestrae apud Caesarem
 Aracopiensem: quoq^m ibi cognoverit, ex scripto per Ma-
 iestatem Vestram ad Nos misso intelleximus, suntq^m
 Nobis gratum ea intellexisse. Et si pro veteri more
 suo fecisse Caesarem illum videmus: tamen q^d suos
 in officio continuit, neq^m excurrere in fines Regni
 Nostris passus est valde nobis id gratum accidit.
 Iam enim pro certo nobis fuerat renuntiatum: q^d
 aut in Regni Nostris aut in Magni Ducatus fi-
 nes impetum essent facturi. Ad quem propul-
 sandum q^d M^{tas} Vestra suos in procinctu esse
 iusserit vigilantiam hanc illius laudamus: ac
 ut deinceps quoq^m pari cura provideat ne quid
 Magnus Ducatus icti detrimenti capiat hortamur.
 Quod sua sponte eam facturam esse minime dubi-
 tamus. Quoniam vero probatur M^{ti} Vestrae Con-
 siliium Nostrum de Legato in Turciam mittendo,
 qui sartiri damna postulet, quae sunt hominibus
 Nostris per Tartaros illata, vellemus ut primo
 quoq^m tempore conscripta ad nos damna ista
 mitteret, designavimus, iam Nuntium ex Aulicum
 Nostrum Generosum Stanislaum Broniewski,
 qui pensari damna omnia et Nostra, et si ita
 visum fuerit Majestati Vestrae illius quoque

nomine

nomine postulabit.

Petro Woiewode proxime defuncto successit Filius qui suum ad nos misit Legatum per quem Nobis renuntiari fecit se de consensu Omnium Ordinum Valachiae accedente etiam Caesaris Turcarum voluntate in Patris locum esse suffectum, studium suum Nobis deffert et constantem amicitiam. In cuius signum Generosum Jacobum Wilanowski Nuntium Nostrum liberum dimisit. Seq^t Conventum istum de quo Pater ejus Nobiscum egerat, esse celebraturum promisit. Haec Majestatem Vestram latere nolimus. Datum Cracoviae ultima Mensis Septembris Anno Domini MDXLVI.